DE LIBRIS DEO ἈΝΘΡΩΠΟΠΑΘῶΣ TRIBVTIS NONNVLLA DISSERIT

CVM AD
SOLEMNEM
LEGVM SCHOLASTICARVM
REPETITIONEM
IN
GYMNASIO ELBINGENSI
D. XX. SEPT. MDCCLXX
CONSVETO RITV PERAGENDAM
PERMAGNIFICOS, MAXIMEQVE STRENVOS
GENEROSOS ET AMPLISSIMOS
CIVITATIS PROCERES
SVMMOPERE COLENDOS
VT ET OMNES
REI LITTERARIAE AC SCHOLASTICAE
FAVTORES ET AMICOS
DEMISSISSIME AC OBSERVANTER
INVITARET

IOANNES LANGIVS
RECT. PR. TH. PVBL. ET BIBL.

ELBINGAE
LITTERIS NOHRMANNIANIS.

Si ſumma in DEO intellectus & voluntatis eſt perfectio, quam neminem ſana ratione praeditum in dubium vocaturum eſſe ſpero, aut ſi ea cognitionis ipſius eſt conditio, vt non tantum poſſibilia, quae ab omni aeternitate, vt in tempore exiſterent, decreuit, ſed ea etiam, quae eſſe quidem poſſunt, quamuis nunquam actu producantur, penitus diſtincteque perſpicit, quod entis neceſſarii requirit natura, imo ſi futurorum quoque contingentium gaudet praeſcientia, quae nec de homine, nec de ſpiritu vllo dici poteſt, ſed ſoli DEO competit: extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, attributa inter diuina omniſcientiam inſimul locum habere, nullis limitibus, numeris circumſcriptam nullis. Inde venit, vt DEVS quoque nullis opus habeat ſubſidiis & adminiculis, ad cognitionis ſuae ambitum augendum, aut perceptiones mentis praeteritas, quarum ideae oblitteratae videntur, in animum reuocandas.

His vero ſubſidiis, ſcientiae augendae inſeruientibus, inter alia libri quoque annumerantur, doctorum virorum diuitias, & foetuum, quos benigniori ingenio ornati excluſerunt, ſupellectilem commendantes. In prima quidem poſt creationem mundi aetate nulla librorum habebatur ratio, vſus locusque erat nullus. Creſcente vero mentis humanae imbecillitate, intellectus caligine, voluntatisque proteruia, ipſa tandem neceſſitas homines docuit, rerum notatu digniſſimarum theſaurum litteris ab obliuione vindicare, & ne ſcitu neceſſaria plane perirent, libros in ſubſidium vocare. Audiamus quaeſo Lutherum jam ſua aetate hac de re T. I. oper. Lipſ. p. m. 55. ex edit. Zedl. ita ſcribentem: Es iſt ein groß Zeichen der Gebrechlichkeit und böſen Verſtandes und Gedächtniſſes der Natur, daß wir müſſen Bücher haben. Da (tempore Patriarcharum) iſt man zu den Vätern gegangen, hat gefraget nach allen Sachen, und ſie haben geantwortet aus dem Geiſte, durch lebendige Stimme, ohne alle Schrift. Jetzt müſſen

wir

wir uns mit Büchern behelfen. Facile inde coniecturatu est, non absque diuino fieri consilio, vt quo magis mentis augentur tenebrae, eo plura ad illas pellendas in lucem prodeant scripta.

Quamuis itaque is librorum sit finis, vt humanae cognitioni, per naturam admodum debilitatae, inseruiant: DEO tamen omnisco quoque ad consummatissimam eius scientiam ac prouidentiam denotandam in Sacra Scriptura saepenumero tribuuntur. Animaduertit vero omnis, illud non nisi metaphorica loquendi ratione, a viris sapientibus desumta, fieri, qui personas, res & actiones memorabiles, quarum meminisse volunt, in libro quodam diligenter annotare consuescunt. Eiusmodi librorum, non nisi humano more DEO tributorum, praecipuos solemni hoc tempore, quo PERMAGNIFICI & AMPLISSIMI MAGISTRATVS indultu & auctoritate liber legum scholasticarum rursus praelegendus est, paucis recensere, nec a scopo, nec a schedulae inuitatoriae ratione alienum esse putamus.

Agmen inter illos merito ducit Codex Sacer, *liber scripturae* dictus, in quo DEVS amicorum instar, qui commercio litterarum vtentes, cum absentibus per epistolas loquuntur, consilium de salute nostra, voluntatemque suam, & quae creditu factuque necessaria sunt, per viros diuinitus inspiratos cum hominibus communicauit. Quapropter codex ille non modo scriptura Io. V, 39. 2 Tim. III, 16. & volumen prophetiae Nah. I, 1. sed etiam liber Domini vocatur, Ies. XXXIV, 16. Quippe hic scripturae liber DEVM solum & quoad res & quoad verba agnoscit auctorem, cuius instinctu & inspiratione viri sacri agitati, illum consignarunt, & primitiuae vtriusque Testamenti ecclesiae tradiderunt. Quodsi autem verba doctorum ecclesiae, a Spiritu Sancto impulsorum ad ea oretenus proponenda, verba sunt DEI Triunius, quanto magis verba scribentium DEO sunt vindicanda.

In hoc Sacrae Scripturae libro alius, qui Altissimo attribuitur & eminentiori modo *liber legis* audit, hominibus traditus inuenitur.

nitur. Continet ille liber decem praecepta, a DEO ipſo lapideis tabulis inſcripta, & non Iudaeis modo per Moſen, ſed omnibus inſimul mortalibus tradita. Ad duritiem autem cordis & perpetuam legis diuturnitatem ſignificandam DEVS vſus erat non foliis membraneis aut chartaceis, ſed tabulis lapideis, ipſo digito diuino conſcriptis Exod. XXXI, 18. Inde & ſcriptura iſta ſcriptura DEI vocatur. c. XXXII, 16. Cum vero prioribus tabulis a Moſe, de monte deſcendente, ſumma cum indignatione confractis, Numinis benigniſſimi juſſu aliae, DEO materiam ſubminiſtrante, ab eo confectae eſſent: his itidem diuinus legislator eadem inſculpſit praecepta, ita vt in vtroque earum latere, hinc atque hinc, prouti biblia loquuntur, ſcripta fuerint. Quo indicatur, leges, ab vtraque parte inſcriptas, Moſe tabulas in manibus tenente, a populo ſpectatore vtrinque integras legi potuiſſe, vel duas iſtas tabulas libri inſtar clauſi ſe habuiſſe, qui explicatus gemina paginarum, mutuo ſe reſpicientium, facie litteras retulit. Hac ratione DEVS non modo primi legislatoris munere functus eſt, ſed in concinnando conſignandoque legum libro ipſe quoque fecit initium. Quae enim de ſcripturarum ac librorum monumentis ante legis diuinae promulgationem in vulgus emanarunt traditiones, certo deſtitutae fundamento fabulas olent & pro ſuppoſititiis merito habentur. Interim non modo veriſimile eſt, gentiles ab hoc legum divinarum libro, a DEO ipſo exarato, occaſionem traxiſſe fingendi, Minoem Cretenſem a Ioue, Mneuen Aegyptium a Mercurio, Lycurgum Lacedaemonium ab Apolline, aliosque ab aliis diis leges ſuas petiiſſe, ſed extra omne etiam poſitum eſt dubium, Moſen primum a DEO litteras exſculptas accepiſſe, primumque inde librorum, maxime diuinitus inſpiratorum, exſtitiſſe ſcriptorem.

Alius porro in ſacris pandectis occurrit *liber, prouidentiae* dictus, qui etiam more ab hominibus deſumto DEO adſcribitur; quo vero nihil niſi praeſentiſſima rerum creatarum notitia, cum omni-

omnipotente earum conſeruatione & gubernatione coniuncta intelligitur. Dum enim DEVS in condendis aeque ac conſeruandis creaturis prouidam ſuam declarat curam, non poteſt non fieri, quin omnia, etiam minutiſſima in hoc prouidentiae libro quaſi conſignata ſedulo contempletur, ſibique habeat commendata. Hic vero prouidentiae liber tam omnes ſummatim concernit creaturas, ratione praeditas juxta ac deſtitutas, quam fidelium atque eccleſiae complectitur fata, vt his DEO inſcio nihil triſtitiae, nihil calamitatis accidere poſſit. Cuius rei admodum certus ac conuictus regius ille Propheta CXXXIX. Pſ, 16. egregie: omnia, inquit, vitae meae tempora, ne vno quidem excepto, in tuo deſcripta erant codice; & idem Dauides LVI. Pſ, 9. DEVM hiſce alloquitur: Tu, qui meas vagationes numeratas habes, refer lacrimas meas in tuum ſaeculum, hoc eſt, in commentarium tuum.

Quo cum prouidentiae libro coniunctus eſt omnino *liber DEI omniſcientiae.* Qui enim ad omnia prouidentia ſua concurrit, is omniſcius ſit neceſſe eſt. Quid vero intelligentiam DEI penitus reconditam & abſtruſam fugiat? Ipſe ſibi gnarus abditiſſimos etiam animorum receſſus, omniaque facta & conſilia tam praeſentia quam futura, vno obtutu & tam exacte intelligit, ac ſi ephemeridibus ſingula accuratiſſime conſignaſſet. Cui reſpondet *liber* ille *memoriae*, quem DEVS ſcriptum metuentibus eum eiusque nomen magni facientibus, ſemper propoſitum habet, & qui in verſione Lutheri ein Denkzettel vocatur. Mal. III, 16. Viris enim prudentibus ac induſtriis in vſu eſt, res memorabiles, quarum recordari cupiunt, in peculiari quodam libro ſtudioſe conſignare, cum in memoriae tabulis facile obliterentur. Pari ratione Propheta ad omniſcientiae certitudinem declarandam affirmat, DEVM omnium actionum humanarum tam externarum quam internarum indicem ac commentarium conſcriptum in oculis habere & in conſpectu. Inde ſane gentilium poëtae, ad fingendi negotium procliues, anſam arripuerunt contendendi, Iouem omnia, quae fiunt,

in membrana ſeu pelle caprae illius, quae eum lactauit, conſignare. En diabolum, Altiſſimi ſimiam, diis fictitiis ea, quae DEI ſunt, adſcribentem!

Hos inter libros DEO attributos refertur etiam *liber vitae*. Phil. IV, 3. Non eſt quod per eum hoc loco intelligamus Chriſtum, in quo fidelium ad vitam aeternam facta eſt electio; ſed ſignificat catalogum ſaluandorum, quos DEVS ex mera gratia propter Chriſtum, fide perſeuerante apprehenſum, ante jacta mundi fundamenta ad vitam aeternam elegit. Hi ſunt, quos gentium Apoſtolus ſequentibus alloquitur: acceſſiſtis ad conuentum coetumque primogenitorum, -- quorum nomina in coelis ſunt conſcripta. Hebr. XII, 22. 23. Sicuti enim ex libro vitae praeſentis deleri, cuius mentio fit Exod. XXXII, 32. 33. idem eſt ac morti tradi temporali: ita in libro vitae, futurae ſcilicet, inſcribi nihil aliud ſignificat, quam ab aeterno ad ſalutem vitamque coeleſtem per Chriſtum eligi ac conſtitui. Cui vitae libro *alius* opponitur *mortis* ſcilicet & judicii. Apoc. XX, 12. Sicuti enim ille ad vitae aeternae gaudia vocatos, ita hic finaliter incredulos, aeternae damnationis dignos, exhibet inſcriptos.

Nec ſilentii peplo inuoluendus eſt *liber* ille, *ab Ezechiele comeſtus, voratusque ſuauiſſimus*, de quo Altiſſimus ad Prophetam c. III, 1. homo, inquit, quod nactum fueris, comede, comede volumen hoc. Cui mandato vt vates obediens eſſet, ore aperto illud comedit, quod ſibi dulcedine melleum factum fuiſſe confitetur. Facile eſt coniecturatu, volumine illo, per viſionem & in ſpiritu Ezechieli tradito, nihil aliud intelligendum eſſe, quam conſilia DEI de populo Iſraelitico abſcondita, eiusdemque verba, quae cibus ac nutrimentum animae ſunt, patefacta. Sic enim ipſe DEVS l. c. commate decimo ad Prophetam: homo, inquit, quicquid ego tibi verborum dixero, id animo percipe. Eo vero mandatum ſpectabat diuinum, vt Ezechiel volumen illud, quaeque in eodem conſcripta legebantur, memoriae quam diligentiſſime

mandaret,

mandaret, & ſedulo penſitando ac meditando omnia cordi imprimeret, hacque ratione, vt aiunt, in ſuccum & ſanguinem conuerteret. Quanquam autem volumen illud verba amara, lamentationes ac gemitus duriſſimos, excidium populi concernentes, continebat; dulce tamen ac melleum ſibi, aequiſſima judiciorum DEI decreta cernenti, in ore fuiſſe, ipſe fatetur Propheta. Idem euenit Ioanni Theologo, qui juſſus, *libellum e manu angeli*, in mari terraque ſtantis accipere, acceptumque deuorare, mandato diuino ita fecit ſatis, vt illum totum comederet, i. e. omnia in eo conſignata auide arriperet, menteque perciperet. Quo facto Ioannes, libri diuinitus dati comeſtor, animaduertit, illum ob egregias voluntatis Altiſſimi reuelationes in ore ſuo dulcem quidem vt mel, aſt vbi eum deglutiuit, in ventre eſſe amarum, ob ingentes perſecutiones & futura mala, quibus eccleſia DEI ſequenti tempore expoſita, quam crudeliſſime premebatur.

Tandem omni contemplatione dignus venit *liber* ille, *ſeptem ſigillis obſignatus*, quem ad dexteram DEI, in ſolio ſedentis, Ioannes olim vidit, intus & extra i. e. ex vtraque membranae parte ſcriptum, ſeu vt Grotius interpretatur, intus ſcriptum, extra ſignatum, ſeptem ſcilicet ſigillis. Apoc. V, 1. Quae ſeptem ſigna Ioannes ſe quidem vidiſſe dicit, non vero id ſimul ac vno obtutu factum fuiſſe affirmat. Nam dum liber hic, ſeptem partibus conſtans, more Hebraeorum ita inuolutus erat, vt primus ſecundum, ſecundus tertium, & ſic deinceps, quorum ſingulus ſignatus erat, contineret, vidit ille ſigno primo ſoluto ſecundum, volumini ſecundo additum, & tandem ſexto, a leone ex tribu Iudae remoto, ſeptimum ei apparuit ſigillum, libro impreſſum, hacque ratione librum hunc ſeptem ſignis corroboratum fuiſſe cognouit. Vtrum vero hic liber, ſepties obſignatus, de ſumma DEI ſcientia & eccleſiae N. T. diſpoſitione ac oeconomia agat, an ipſam apocalypſin Ioanneam, aliamue exponat rem, in praeſentia multis indagare non viſum eſt: illud autem innuere juuat, huic vtique libro

ſeptem

ſeptem addita fuiſſe ſignacula, ad abſtruſas illas variasque, quibus omnis Scriptura Sacra, maxime vero hic liber reuelationis, per Chriſtum factae, inuolutus eſt, obſcuritates indicandas.

Haec ſunt, quae de libris, DEO ritu humano tributis, in S. S. commendantur, quaeque cum nos, qui in ſcholis juuentuti erudiendae poliendaeque operam damus, tum ipſos Gymnaſii tirones ac diſcipulos monere poſſunt, vt in quouis negotio eo maiorem adhibeamus curam, quo magis perſuaſi ſumus, DEVM, aequiſſimum bonorum remuneratorem ac juſtiſſimum malorum judicem, in libro omniſcientiae ſuae dicta factaque conſignare omnia. Quo vero actui huic anniuerſario nihil deſit, quod conſuetudo laudabiliter recepta iniungit: legibus praelectis *Vir Praeclariſſimus Doctiſſimusque IOANNES SAMVEL FROM, Gymn. Conr. & P. P. Amicus noſter multis nominibus Honorandus* adoleſcentes producet delectos, qui in nobili & minime protrito argumento *de honoris ſtudio* ingenii & eloquii viriculas periclitabuntur.

Vos ergo, ILLVSTRIS, PERMAGNIFICI, MAXIMEQVE STRENVI, GENEROSI, AMPLISSIMI, CONSVLTISSIMIQVE DOMINI, BVRGGRAVIE REGIE, PRAECONSVLES, CONSVLES, CIVITATIS PROCERES GRAVISSIMI ac MAECENATES QVAM DEMISSISSIME COLENDI, VOSQVE EXCELLENTISSIMI, PLVR. REVERENDI, PRAENOBILES, NOBILES, SPECTABILES, HVMANISSIMIQVE, FAVTORES ET AMICI STVDIOSISSIME HONORANDI, ſummiſſo hoc programmate inuitamus, enixe rogantes, vt ſi commodo VESTRO fieri poſſit, cras ſub hor. IX. matutinam ſolemnitatem hanc ſcholaſticam honorifica VESTRA praeſentia colluſtrare, legibus vim atque pondus auctoritate publica addere, & tirones noſtros procliui VESTRA in auſcultando beneuolentia ad vlteriorem diligentiam excitare non dedignemini. Publ. Elbingae, d. XIX. Sept. A. MDCCLXX.